



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

De non eligendo sibi successore in episcopatu. Capvt XLVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

ANNO CHRISTI 335
tribus interueniente; vt considerent hoc, sicut supra dictum est in Canone; & non oportet vt interueniat qui querelam habuit in hoc iudicio: & qui contradixerit, habebitur excommunicatus.

De excommunicatis ab vno aliquo, quando ab alio absolui, vel non absolui possint.

CAPVT XLVII.

Nullus episcopus soluat quem alius episcopus ligauit, quamdiu ille qui ligauit, vixerit. Quod si episcopus qui ligauit, obierit, & successori visum fuerit soluere ligatum, licebit facere, postquam causam, propter quam fuit excommunicatus, cognouerit; modo excommunicatus non fuerit propter blasphemiam, aut propter aliquod peccatum publicum, aut aliud simile. Eadem lex erit de sacerdote; id est, vt nullus sacerdos soluat aut liget, quem alius sacerdos soluerit aut ligauerit, quamdiu ille qui soluit aut ligauit, vixerit. Post mortem vero successor eius soluet quem mortuus ligauit: sed debet episcopus præesse huic negotio, neque conuenit, vt archiepiscopus, aut episcopus soluat aut liget eum qui digne a sacerdote solutus aut ligatus est, quamdiu is qui soluit aut ligauit, vixerit. Patriarcha tamen re cognita habet auctoritatem soluendi omnes istos, si ei visum fuerit; siquidem est loco patrisfamilias, qui in eos, & in omnes alios potestatem habet: & hic Canon non habet excommunicationem.

De non eligendo sibi successore in episcopatu.

CAPVT XLVIII.

Vt nullus episcopus dum viuit, alterum eligat

Huic Canonu att-

Mm iij

statutur
Concilium
Antioch.
c. 23. epist.
Innocentii
I. ad Cle-
rum Con-
stant. quæ
est in lib.
13. Nice-
phori, cap.
23. ep. Aug.
110.

qui post mortem loco suo succedat, nec ex multum * propinquis, nec ex primariis ciuitatis; sed cum episcopus erit mortuus, tunc eligendus est aliquis ex sacerdotibus, aut religiosis qui habitant in monasteriis per desertum, aut aliquis de doctrina, & studio scripturæ notus, & cuius præstantia, & probitas sit cunctis manifesta; quamuis sit externus, ordinetur episcopus, si his conditionibus præditus reperiatur; & diues si fuerit, nihil impediet quo minus sit episcopus. & hic Canon caret excommunicatione.

Non facit contra hunc Canonem, qui assentiente clero & populo aliquem, qui dignus sit, designat futurum successorem, vt Augustinus in Eradio fecit: is enim non ab episcopo, sed potius a clero & populo eligi dicendus est. Augustinus vero a Valerio electus fuit, & ordinatus, vt post mortem succederet: quod idem Augustinus contra Canonem Nicænum factum fuisse per ignorantiam dicit. sic igitur intelligendus est hic Canon: Nullus episcopus dum viuit, alterum eligat sine clero & populo: nec ita cum clero & populo eligat, vt ordinetur episcopus, dum viuit cui successurus est.

* Dixit, nec ex multum propinquis; quia esse multum propinquum, vt fratrem, aut filium, aut fratris vel sororis filium, multum valde posset, vt electio huius multum propinqui, quam facit episcopus viuens, a clero & populo approbaretur; similiter si ex primariis.

Quia ait beatus Iacobus; Nonne diuites per potentiam opprimunt vos, & ipsi trahunt vos ad iudicia? & Paulus: Qui cupiunt, inquit, diuites fieri, incidunt in desideria multa, inutilia & nocua: idcirco vt diues ordinatione episcopi dignus sit, explorare oportet, an sit etiam, sicut Apost. diues in bonis operibus, & an facile tribuat, & communicet. hinc Synodus Sardic. cap. 10. Si quis, inquit, diues, aut scholasticus a foro, velit episcopus fieri, ne prius fiat quam in omnibus gradibus ministerium impleat; vt si in singulis dignus censeatur, possit ad verticem dignitatis episcopi ascendere. Cum curialibus coniunxit Synodus diuites.

De non ordinando simoniace.

CAPVT XLIX.

Testatur
decretum
fuisse hoc
in Concilio

Vt nullus audeat ordinare episcopum, aut sacerdotem, aut diaconum pro quauis re data, siue ante